



SALVATOR noster IESVS Christus, verus atq; vnicus Dei filius secundum essentiam diuinam, natus est ex Maria virgine, quemadmodū ei in Nazareth Angelus Gabriel prædixerat, anno mundi 3962. imperij Augusti 42. ab vrbe Roma condita, 752. Olympiade 194. anno regni Herodis Aſcalonitæ 35. Natus est autem cooperante Spiritu sancto, in Beth-leem, ciuitate Iudææ. Porrò simulatq; natus est Christus, pannis eum inuoluit virgo mater, & reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno: & dixit illis Angelus, nolite timere: ecce enim euāgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid, & hoc vobis signū: Inuenietis (inquit) infantē pānis inuolutū, & positum in præsepio. finita legatione, subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Porrò vt discesserūt ab eis Angeli in cœlum, pastores locuti sunt adinuicem: *Transeamus vsq; Beth-leem & videamus quæ nuntiata sunt:* statim itaq; profecti, inuenerūt puerum cum Maria matre positum in præsepio: & omnes qui hæc audierunt mirati sunt. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum. Luc. 1. & 2. cap. Hæc autem facta sunt anno 42. imperij Octauij Augusti, vt prædictum à me est.